Quantum autem scandalum sit apud infideles, quando vident illos mercatores in ecclesia sedere et vendere, et lucris insistere, patet ex munditia muschearum suarum, in quibus pro nulla re mundi aliquid vendere aut emere aut certe de his tractare licet. Nos autem facimus de domo orationis domum negotiationis et ecclesiam sacram speluncam latronum constituimus, quod infideles cernentes fidem nostram rem fatuam et stultam reputant.

Alii non minus praedictis exorbitant et scandalizant tam fideles quam infideles. Quidam enim nobiles vanitate ducti nomina sua cum signis progeniei et ingenuitatis suae parietibus templi inscribebant et arma suae nobilitatis depingebant, vel chartas depictas cum hujusmodi affigebant in illa et in aliis ecclesiis. Et quidam eorum cum ferreis instrumentis et malleolis columnis et tabulis marmoreis sua nomina insculpebant, et omnes inquietabant et scandalizabant. Vidi quosdam vanos nobiles ad tantam fatuitatem deductos, quod, quando in capellam montis Calvariae adscendebant et procumbentes supra sanctam rupem, in qua foramen crucis est, orare se simulabant, et circumpositis brachiis occulte acutissimis instrumentis insculpebant scuta cum signis, non dico nobilitatis sed stultitiae suae in perpetuam suae fatuitatis memoriam. Oportebat autem eos hoc occulte facere, quia, si custos sanctae rupis, qui est Georicus, vidisset, cum crinibus eos detraxisset. Eadem insania moti quidam supra tabulam tumbae sanctissimi sepulchri Domini aculeis sua nomina, scuta et signa infixerunt, Dei timorem et reverentiam postponentes, ut memoria insaniae et vanitatis eorum non deleatur, sed jugiter perseveret ad hoc, ut per singulos dies recipiant maledictionem, tam in monte Calvariae coram cruce dominica, quam in monumento ante Domini sepulchrum. Quilibet enim devotus et sincerus peregrinus, qui magnis sumtibus et laboribus et per mille pericula ad ista sancta loca devenit, dum in praefatis locis se ad orandum ponit et vanitatem istam inspicit, statim sub oratione fatuo illi maledicit, qui hanc irreverentiam istis sanctissimis locis facere praesumsit, et ei mortem aut manus ariditatem, contractionem vel abscissionem imprecatur, vel Deum exorat, ut suum honorem in illo vindicet, qui in saxum, positum in

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;